


EPISTULA LEONINA

CCXIV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUARTAM DECIMAM (214) !

ARGUMENTA

DE GUSTIBUS NON EST DISPUTANDUM.....	03
CAVETE MANIDES ET VESPERTILIONES !.....	04-12
ECCE VIRUS CORONATUM COVIDIANUM.....	13

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**


Cara Lectrix, Care Lector,

*Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam quartam decimam (214). Hac in Epistulâ Leoninâ agitur de manidibus atque vesperilionibus, id est bestiis, quibus tactis, immo comesis Sinenses in se receperunt fatale illud vîrus interim ferê ubiquitarium, quod appellatur **vîrus coronatum covidianum**. Utinam tibi sit occasiuncula has pagellas Latinê scriptas perlustrandi. Tolle lege! - Vehementer spero vos omnes defensores Latinitatis vivae neque infectum iri vîro coronato covidiano neque in suspicionem contagionis venturos esse, ut +quarantenâ ab aliis hominibus segregati vivatis tam insulati quam Robinsonus miserrimus. Istud avertat Deus omnipotens!*

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 08. m.Mart. a.2020**



DE GUSTIBUS NON EST DISPUTANDUM

https://de.wikipedia.org/wiki/De_gustibus_non_est_disputandum

Iohannes Anthelmus Brillat-Savarin auctor Francogallus (1755-1826: *La Physiologie du Goût*, a.1826) dicitur hoc proverbium derivasse ex hispanico, q.e. „*Sobre los gustos no hay disputo*“. Philosophi autem scholastici medio aevo scribebant: *De gustibus et coloribus non est disputandum*. In imagine photographica supra posita vides puellam sinicam, quae fortiter deglutiat vespertilionem coctum aspectu infernali praeditum.

CAVETE MANIDES ET VESPERTILIONES !



Quare tot vîra¹ noviora accepta sunt e vespertilionibus? Vîrus coronatum nequaquam est unicum germen pathogenum, quod ex iisdem ad nos translatum est.

Scriptis Matt Ridley, Latinê reddidit Leo Latinus.

¹ **vîrus**, -ī n. apud antiquos auctores est i.q. sucus, mucus, venenum. Ibi desunt formae plurales. Sensus modernus necnon formae plurales in usu sunt botanistarum: cfr William T. Stearn, *Botanical Latin. History, Grammar, Syntax, Terminology and Vocabulary*. 2. ed., London & Edinburgh 1967, Vocabulary, p.545 : «Virus : virus (s.n. II).gen.sg. viri, nom.pl. **vîra**, gen.pl. **vîrorum** (to be distinguished from vîrorum, of men).»



Rhinolophus sinicus

Non sum *Nostradamus*. At ante viginti annos mandatum mihi est, ut librum scriberem de morbis in novo millennio futuris. Praedixi novam pandemiam non effectum iri a bacterio aut a parasiticâ bestiâ, sed a vîro, quod accepturi essemus e bestiâ ferâ. Illo tempore scripsi: „Conicio nos vîrus accepturos esse ex vespertilionibus“. Interim scimus vespertilionem esse hospitem et originem novi vîri coronati *Covid-19* (*dicamus Latinê vîrus covidianum, adn. interpretis*), quod in mercatu bestiarum viventium Vuhanensi in homines transsiluisse verisimile est.

Hic non est primus morbus, in quem incidimus vespertilionum gratiâ. Homines fortasse etiam rabiem acceperunt ex vespertilionibus. Quod factum est etiam de *ebolâ* lue vîrali, quae erumpi solet, quando homines latebras tetigerunt vespertilionum, quae insunt cavernis, arboribus, domibus.



Rhinolophus affinis

Vîrus Marburgiense, quo primum a.1967 homines mortui sunt in Germaniâ, est, ut hodie demum scimus, etiam ab hominibus acceptum e corporibus vespertilionum. Ex anno 1994 *vîrus hendrae* interdum ex *pteropodibus* australiensibus¹ in equos et ad homines raro quidem translatum est, sed mortiferê. Ex a.1998 aliud vîrus pteropodum, quod vocatur *nipah*, praecipuê in Indiâ et Bangladesâ occîdit homines. Vîrus sarsianum (*Sars*), quod a.2003 in Sinis propagabatur, exortum est ex vespertilionibus, fortasse per ambages vênit ex viverrinis². Vîrus autem mersianum, quod etiam est vîrus coronatum ex vespertilionibus acceptum, ex a.1012 in Oriente Propinquo necavit aliquot centum homines camelosque.


Malignitatem talium vîrorum paulatim deminui

Omnia ista vîra efficiunt letalitem magnam, sed minus facile transferuntur ab uno homine ad alterum. E contrario vîrus covidianum est valdê contagiosum, sed raro letiferum. Causa est bona, quâ sic inter se compensentur vîri malignitas et periculum contagionis, et ut hanc causam intellegas, optimum tibi est respicere vîri ipsius commodum existientiale.

¹ *ptéropūs*, pterópodis m. theod. *Flughund*.

² **viverrīna*, -ae f. theod. *Zibetkatze*.

Generaliter licet dicere novos morbos, qui neque transferantur insectis, neque aquâ pollutâ neque coitu venereo, si latê diffunduntur, esse malignitatis minoris.



ECCE PTEROPUS ALECTO EX ARBORE PENDENS

Rhinovîra et *adenovîra* et *vîra coronata*, quorum species ducentae ferê efficiunt perfrictiones, id student, ne nos perfectê debilitent neve interficiant. Immo ista vîra potius id curant, ut nos tussientes et sternutantes corpora nostra trahamus ad sedem operandi aut ad convivia participanda, ut quam plurimis hominibus aut oscula demus aut manûs. Ita fit, ut stirpes virales minus periculosae latius diffundantur quam stirpes perquam malignae easdemque paulatim repellant. Item vespertiliones quamquam vîrus covidianum in se ferunt, non moriuntur.

Malariae autem *plasmodia* exoptant, ut nos ipsos collocemus in conclavi obscuro et deliremus, ut culices attrahamus, sed eosdem non animadvertamus. *Herpes* et *syphilis* necnon *morbis sida (HIV)* – qui est morbus contagiosus decenniorum proximorum praeteritorum

omnium pessimus, qui transsiluit e *Panibus troglodytis*¹ in nos – paulatim languescens libenter per menses vel annos latent sperantes nos ipsos conversum iri ad novos consortes veneris. Evolutio enim est hostis insidiosus.



ECCE PTEROPODES ALECTONES IN ARBORE DORMIENTES

Quare vespertiliones in causâ sunt tot *zoonosorum*, i.e. contagionum a bestiis in homines translatarum? Primo: Vespertiliones sunt animalia mammifera, id est, nobis tam affines sunt, ut nonnulla vîra earum exstare possunt in corporibus nostris. Vîrus, quod exstat in pisce aut ave, minore cum verisimilitudine invasurum est in homines – excepto vîro *influentiae*, quod accepimus per ambagem porcorum ex anatibus. Secundo: Vespertiliones ab hominibus numquam sunt ad homines assuefacti. Morbos vaccarum, porcorum canumque nos iam experti sumus; morbillos, variolas, anthracem, tuberculosin, ut ita dicam, dono iam accepimus a bestiis domesticis.

Tertio: Contra ac pleraque animalia mammifera vespertiliones vivunt ingentibus gregibus inter se consociati – ergo ita ut nos ipsi. Itaque vespertiliones hospites sunt virorum, quae transferuntur contactibus

¹ Pān troglodytēs est i.q. theodiscê *Schimpanse*.

levissimis brevissimisque. Tigrides e.g. tam paucas tigrides convenire solent idque tam raro, ut vix possint vîrorum prolem propagare.



EN PTEROPODEM ALECTONEM VOLITANTEM

Ut exemplum afferam contrarium: In cavernâ *Bracken*, quae est in Americae Civitate Texanâ, habitant circiter viginti miliones vespertilionum speciei, quae scientificê appellatur *Tadarida brasiliensis*, id est ferê tot vespertiliones quot in urbe Mexicopoli habitant homines. Nonnullis in locis in areâ nongentorum centimetrorum quadraticorum vivunt quingenti ferê catuli vespertilionum. Talem locum vîrus habet pro bibesiâ et perediâ.

At quare istaec omnia fiunt ipso hîc tempore? Huic quoque quaestioni facile est respondere. Haec non fiunt propter mutationem climatis aut silvarum incaeduarum destructionem: Ex saeculis enim vespertiliones vivunt et in turribus campanarum et in arborum cavernis. Sed hodie contagiones virales plures fiunt quam prius, quia unus iuxta alterum vivimus densissimê, itinera facimus frequentissima. Cum simus 7,7 (septem – virgula – septem) miliardae hominum, quorum multi itinera faciunt longissima, a vîris contagiosis desideramur cupidissimê. Ut iam ante viginti annos scripsi: „Germen pathogenum si apud nos

coloniam conderet, mercedem acciperet immensam. Quod rapidê fieret microbium historiae victoriosissimum.“ Verisimile est etiam prius multos homines mortuos esse morbis viralibus affectos, qui translati erant a vesperilionibus. At tales epidemiae mox finiri solebant, quia vici erant parvi et vix fiebant itinera longiora.

Sed verisimile est nos vîrus covidianum non directê accepisse a vesperilionibus. Sequentia acidi ribonucleinici (RNA), quod huic vîro hominis inest (acidum ribonucleinicum affine est acido desoxyribonucleinico), nonagenis senis partibus centesimis (96%) eadem sequentia est ac illa, quae a.2013 in quodam vesperilione inventa erat in regione *Yunan* ab investigatoribus germen pathogenum morbi sarsiani quaerentibus. Itaque verisimile est ambo haec vîra ante minimum viginti quinque annos habuisse vîrus quodammodo proavum communem. At vîrus in *manide*¹ inventum undecentenis partibus centesimis est îdem ac vîrus covidianum, quo homines inficiuntur.

Nova arma

Manides praecipuê e Malaysiâ invehuntur in Sinas; fortasse tales bestiae in mercatu Vuhanensi prostiterunt venaliter, quae hoc vîrus acceperant a vesperilionibus. Species manidum ubique terrarum in periculo sunt, ne exstirpentur, quia a Sinensibus avidissimê comeduntur.



ECCE MANIS CATULUM CAUDĀ SECUM FERENS

¹ **mānis**, mānidis f. theod. *Schuppentier*, *Tannenzapfentier*; angl. *pangolin*, *scaly anteaters*. Nomen zoologicum in symbolâ Wikipedianâ sic explicatur: „Die Bezeichnung *Manis* geht auf die **Manen** zurück (lateinisch *manes*), **römische Totengeister, und bezieht sich dabei auf die nachtaktive und meist versteckte Lebensweise.**“
<https://de.wikipedia.org/wiki/Schuppentiere>

Feliciter accidit, ut in mundo moderno nobis non solum imminerent morbi novi, sed praesto essent etiam nova arma, quibus istos impugnaremus. Genoma ipsius vîri sidarii (HIV) sequentiatum est non nisi spatio complurium annorum, genoma autem vîri sarsiani per nonnullas septimanas, genoma vîri covidiani per dies tantummodo nonnullos.



**ECCE FETUS MANIDIS A COQUO SINICO PERITĒ PARATUS.
QUIS VESTRUM, LECTORES, AUDET GUSTARE?**



EN PUELLAM FORTEM, QVAE DEGLUTTIAT VESPERTILIONEM.

Ergo hodie scimus morbos celerius cognoscere quam prius, necnon fieri poterit, ut mox iam vaccinum prostet venale; quarantenis¹ et severâ insulatione hominum morbo affectorum curari potest, ne vîrus ubique terrarum diffundatur.

Si vîrus tamen propagabitur pandemicê, verisimile est istius malignitatem deminutum iri. Scilicet hoc malum fore solacium illis, qui tamen morituri sint, sed hoc valet portionem letalitatis fore minorem, quam ut interiturae sint miliardae hominum.


At interim liceat rogare, ut rebus supra perpensis concludamus tres res strictê esse evitandas: *Prima*: Ne bestiae ferae apportentur in mercatûs, minimê, si adhuc vivunt, nam vîra non diu perdurant in cadaveribus, etiamsi eadem sunt refrigerata. Ceterum bestiae vivae si prostant venaliter, vexantur. *Secunda*: Absimus a vesperilionibus remotissimi. *Tertia* autem res evitanda est strictissimê: Ne vesperiliones comedamus!

Hanc relationem scripsit Matt Ridley. Ex anglico sermone hunc textum in theodiscum convertit Thomas Bodmer. Versionem Bodmerianam Latinê reddidit Leo Latinus. Textus originalis editus est in periodico Britannico, quod inscribitur „Spectator“. Versio Thomae Bodmer invenitur in Turicensi periodico hebdomadali, cui titulus est „Weltwoche“ (n.9, d.27.m.Febr.a.2020, p.42sq.). Titulus theodiscus est „Der Fluch der Fledermaus“.



¹ **+quarantēna**, -ae f. angl. *quarantine*; theod. *Quarantäne*. cfr Henricus Scaille Dionantinus, Sacramenta tempore pestis, Lovanii 1704, p.335: «Observatio II: **De quarantena**. **Quarantena** sub finem capitis precedentis memoratam appellant spatium quadraginta dierum seu sex septimanarum, quo qui peste affecti fuerunt vel de peste suspecti sunt, aut in iisdem aedibus cum peste infectis habitant, jubentur domi se continere & a sanorum consortio abstinere, ut constet quod a peste sunt plene curati, vel illa non fuerint correpti. Ad tantum temporis spatium recluduntur vel segregantur, quia medici docent & experientia comprobant posse pestem per plures aliquando septimanas latere in alicujus corpore antequam ipse persentiat aut illa exterius se prodatur».

ECCE VIRUS CORONATUM COVIDIANUM



ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hâc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50


14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUARTAM DECIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Dominicâ, 08. m.Mart. a.2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

